

1333, *Giugno* 17.

*Consulto per mandar ambasciatore al Re, per la riduzione del dazio, ecc. con minaccia di rievocare i Veneziani dal suo territorio.*

Capta. Quod Partes possint poni pro facto Ambaxate Harmenie, ut videbitur Domino, Consiliariis et Capitibus de XL, non obstante quod non est diffinitum unde accipi debeat pecunia ambaxiate si capietur.

Capta. Cum ad honorem nostrum pertineat sollicite procurare, quod nostri fideles cum propriis mercationibus, et rebus suis benigne ubilibet pertractentur, et sicut habitum est jamdiu, et per nostrum Ambaxiatorem et per nostros mercatores venientes de Armenia, et per litteras nostri Baiuli de inde: ne dum privilegium, quod habemus a rege Armenie nobis non servatur, verum etiam ultra eius inobservantiam, fideles nostri in regno Armenie diversimode molestantur, non videbitur sapientibus quod in dicto facto pro nostra conservatione sit sub silentio transeundi: quia considerantis gravibus litteris per nos missis dicto Regi, per quas semper ferventer scripsimus de providendo in dicto facto, quando nullum per nos apponeretur remedium in predictis, non esset aliud dicere, nisi quod nos continue maioribus molestijs aggravaret. Et propterea consulunt, quod committatur alicui ex mercatoribus nostris ituris pro invernando in Armenia, cui videbitur Domino, Consiliariis et Capitibus quod in nostrum ambaxatorem vadat ad dictum Regem; et expositis sibi cum verbis generalibus gravitatibus, que fiunt nostris, et quomodo nobis privilegium non servatur, procuret obtinere ab eo, quod per totum regnum mandet et ordinet cum effectum, quod ipsum privilegium, quod habemus ab eo, nobis inviolabiliter observetur, nec ad specialitatem aliquam idem ambaxiator se reducat, nec in specie de aliquibus gravitatibus que fiant nostris, contra formam dicti privilegij faciat aliquam mentionem.

Verum dentur dicto ambaxatori capitula que apportavit secum de Armenia Ser Jacobus Trevixanus, de quibus fecit ambaxiatam